

me e primo fonte oriunda, haec ex altero: qua verba, illa e troporum, et figurarum illustrium vfu, collocatione graui, numerosisque periodis, haec ex acrioribus figuris maxime, et membris crebris et abruptis. *Pulchritudo* contra, est virtus generis medi, quae existit necessario, si oratio sit talis, qualem supra descripsimus. *Morata* autem oratio quae fit, et quomodo efficiatur, satis, opinor, elucet ex iis, quae de moribus dicta sunt. *Decora* denique est, quae tribus generibus dicendi eorumque virtutibus recte vtitur. Adeo verum est, quod Aristoteles iudicat, distributiones formarum, praeter illam triplicem, esse inutiles. Haec de elocutione.

---